

rare, sive intellectuale i. e. heresis, fuerit, Apostata enim ad frugem converfi, ab Ecclesiâ in gratiam recipi possunt ac debent. Apostasiæ verò crimen pro re adeò levi imprudenter æstimat Indifferentismipatronus, ut ne quidem hoc nomine appellari, nedum ad Solennem revocationem & deprecationem publicam admiffi scandali, Apostatas redeuntes adigi velit, ut cum Libertinismo tandem non saltim Samaritanismum, sed ipsum deniqve Atheismum, Diaboli instinctu atqve ope omninò introducat.

THESIS XV.

Ecclesiæ verò Catholicæ annumerare non possumus *Hæreticos quæ tales*, & in fundamento errantes, ne Seductos quidem, si sint incorrigibiles, Apoc. XIII. 14. XIV. 3. 11. XVI. 2. 20. quorum caput *Anti-Christus*, una cum iis, in Coetu visibili *Uo atorum*, versatur, 2. Theff. II. 4. qui cum *Fidelibus* communitate quidem Sacrorum, ob inhabilitatem tamen fidei externè tantum gaudent, uti paleæ atqve zizania pingvedine agri, Matth. III. 12. XIII. 24. 25. fruuntur; adhærent autem Ecclesiis visibilibus atqve topicis, tanquam pravi humores, atqve ulcera corpori, in Ecclesiam verò invisibilem atqve catholicam, non magis ingrediuntur, quam apostemata animam Leprosi, quæ ob spirituales suam naturam non nisi intermedio corpore iis affligitur. *Hæretici* verò partim addunt *falsa*, partim detrahunt fundamento fidei *vera*. Aliæ Hæreses *totam Massam* Doctrinæ Christianæ corrumpunt, uti venenum cruorem idqve sive illicò, sive pedtentim & cum quadam morâ. Aliæ sicut peccatum originale Substantiam

E. tiam